



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Aenhamense Hortatv Aelfeagi Dorobernensis & Vvulstani  
Eboracensis archipraesulum, ab Aethelredo rege indictum, accersitisque  
episcopis, & vniuersis Anglorum optimatibus, in die sanctae ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

ANNO  
CHRISTI  
1006

in sobole acquirenda nulla spes remanet mibi. Et quod praecepsum habui,  
meipsum cum modo acquisitis seu acquirendis in sacrificium Patri ingenito  
iam dudum secreto mentis obtuli. Episcopatum in Bauenberg a cum licen-  
tia antistitis mei facere hactenus concipiui, & hodie iustum hoc perficere  
volo desiderium. Ob hoc serenissimam vestimenta interpellio pietatem, ne ab-  
sentia eius qui per me voluit obtinere quod mihi non licuit huic concedere,  
propositum voluntatis mea queat impeditre, cum in baculo eius mutua con-  
firmationis signo clarescat, hunc non propter Dominum, sed ob dignitatis  
nullatenus adipiscenda dolorem fugisse. Moneat omnium corda presentium,  
quod per ambitionem suam sanctae matris ecclesie augmentum an-  
nullare cum nugigerula legatione presumpsit. Ad hanc firmiter constituen-  
da, contextalis mee praesentis & unici fratris & coheredis mei larga beni-  
gnitas aspirat: & sibi placita adimpletione his me eadem restituere utique  
pro certo sciat. Si quando autem episcopus venire, & promissa digna-  
tur suscipere, paratum me ad omne quod vobis bonum videtur procul du-  
bio inueniet.

Finitis talibus alloquiis, Bernigerus antistitis Henrici V virceburgen-  
sis capellanus surrexit: propter timorem regis senorem suum hic non ve-  
nisse, & detrimentum ecclesia sibi a Domino commisso in aliquo fieri nun-  
quam laudasse, testatur: & obsecrat cunctos presentes per Christi amo-  
rem, ne talia fieri, absente eo, futurum sibi in exemplum paterentur. Pri-  
uilegia eiusdem ibi alta voce recitantur. Inter hac quotiens rex anxiam iu-  
dicum sententiam nutare perspexit, totiens prostratus humiliatur.

Tandem archiantistiti V villegio, quid de his faciendum foret, iudicio  
perscrutanti, Tagmo primus respondit, haec tunc secundum regis eloquium  
legaliter fieri posse. Cunctis presentibus eius sermonem tunc affirmantibus,  
& subscriptis, Eberardo tunc cancellario cura pastoralis a rege com-  
mittitur, & hic a prefato archipresule eodem die consecratur. Post hac au-  
tem Henricus antistes auxilio confratris Heriberti archiepiscopi Colonien-  
sis regis gratiam & impletionem sibi placitam acquisivit.

## CONCILIVM AENHAMENSE

HORTATV AELFEAGI DOROBERNENSIS

& Vvulstani Eboracensis archipræfulum, ab Aethelre-  
do rege indictum, accersitique episcopis, & vniuersis  
Anglorum optimatibus, in die sanctæ pentecostes ce-  
lebratum, inter annos Domini M VI. (id est regis Aethel-  
redi XXVIII. quo Aelfeagus a Vvintonia ad Doroberniam translatus est) & MXIII. (hoc est Aethelredi  
XXXV. quo truncato a Danis nefandissime Aelfeago  
Liungius) successit in Dorobernensi archiepiscopatu.

TITV-

Bamber-  
gensis epi-  
scopatus  
erigitur.

CIRCA  
ANNO  
CHRISTI  
1009

CIRCA  
ANNVM  
CHRISTI  
1009.

TITVL CAPITVLORVM.

- I. *De Christiana religione promovenda.*
- II. *De sacerdotum & cleri calibatu.*
- III. *Vt Deum unicum colant & diligant.*
- IV. *Vt sage, incantatores, meretrices egregie, & periuri exulent.*
- V. *Vt leges iuste ferantur, & serventur.*
- VI. *Vt nemo vendatur extra partiam.*
- VII. *Vt pro modico delicto nemo moriatur.*
- VIII. *De gradibus matrimonium prohibentibus.*
- IX. *De multiplici pace ecclesia.*
- X. *De debitibus Deo reddendis.*
- XI. *De denario sancti Petri, & ciricksceato.*
- XII. & XIII. *De censu lumina- rium & sepultura.*
- XIV. *De sepulco extra suam parochiam.*
- XV. *De festis & ieuniis.*
- XVI. *De iejunio quatuor temporum.*
- XVII. *De die Veneris ieunanda.*
- XVIII. *De diebus iuridicis & matrimonialibus.*
- XIX. *Vt vidue sint per annum in nuba.*
- XX. *De confessione & pænitentia agendis.*
- XXI. *De verbis & operibus currandis.*
- XXII. *De emendatione pacis, numismatis, &c.*
- XXIII. *De nauali expeditione sub paschate paranda.*
- XXIV. *De militiam detrectante.*
- XXV. *Vt homicida aut peierator coram rege non veniat, prius quam satisfecerit.*
- XXVI. *De vita regis insidiatore.*
- XXVII. *De eo qui forsteal fecerit.*
- XXVIII. *De eo qui monialem aut viduam compreserit.*
- XXIX. *De consilio efferendo Deo & populo probatissimo.*
- XXX. *Exhortatio cum ad ecclesiasticos, tum ad saeculares.*
- XXXI. *Mulcta & compensatio- nespendende ubi delinquitur.*
- XXXII. *Potentes grauius mulctandi.*

C A P I T V L A.

I.

**H**Æ sunt constitutiones quas tulerunt Angli eruditi, elegerunt etiam & edixerunt, instanterque docuerunt obseruandas. In primis hortantur episcopi, vt qua possumus festinatione a peccatis reuertamus omnes, confessique eadem libentissime, sedulo pariter compensemus, Deum vnicum recte diligamus atque veneremur, religionem vnicam

Concil. Tom. 25.

Hh

Christianam firmiter teneamus, & quamlibet Gen-  
tilium superstitionem omni odio explosam fugia-  
mus. Consiliis mutuis nobis inuicem opitulemur,  
paci & concordiae summopere studeamus, & regi  
vnico domino nostro vsquequaque obedientes fi-  
delitatem debitam exhibeamus. Decernunt etiam  
sapientes, vt abbates & abbatissæ propriam suam  
vitam recte disponant, familiamque & conuen-  
tum suum prudenter instituant: & vt omnes, cuius-  
cumque ordinis fuerint, ad muneris sui rationem  
humiliter se accingant coram Deo & mundo; præ-  
fertim ministri Dei episcopi & abbates, monachi  
& mynecenæ, canonici & nonnæ, ad vitæ se  
conuertant integritatem, regulariter viuant, & pro  
omni Christiano populo preces fundant solertiſſi-  
me. Decernunt vtique sapientes, quod monachi,  
qui extra monasterium suum degunt, professio-  
nis suæ regulas non curantes, animarum suarum  
vtilitati prospiciant, & in monasteria sua cum omni  
humilitate reuertentes, peccata sua & violatæ pro-  
fessionis crimen serio deplorent: meminerint si-  
quidem voti & sponsionis, quibus Deo semet con-  
secrarunt. Monachus autem, qui monasterium  
non habet, conferat se ad diœcesis episcopum,  
& coram Deo & hominibus probum se & candi-  
dum confirmet; tria saltem se exinde obseruatu-  
rum, scilicet castitatem, habitu vestiri monachali,  
& qua melius poterit in seruitio Domini permane-  
re. Hæc qui præstiterit, dignior habebitur, & in  
maiori precio vbiicumque venerit. Canonicis ho-  
nori fuerit, si commeatum in refectorio, som-

vt ordina-  
ti munera  
sua exe-  
quantur.Monachi  
cœnobita.Monachi  
non cœno-  
bita.

CIRCA  
ANNVM  
CHRISTI  
1009. num in dormitorio capescentes, monasterium te-  
neant in castitate iuxta regulæ suæ rationem, &  
vt iustum est. Hoc si non fecerint, honore suo spo-  
liantor.

II.

Omnis ministros Dei, præsertim sacerdotes, ob-  
secramus & docemus, vt Deo obedientes castita-  
tem colant, & contra iram Domini se hoc modo  
muniant & tueantur. Certius enim norint quod  
non habeant debite ob aliquam coitus causam vxo-  
ris consortium. In more tamen est, vt quidam duas, Quidam  
plures ha-  
bent.  
quidam plures habeat; & nonnullus, quamuis eam  
dimiserit quam nuper habuit, aliam tamen ipsa vi-  
uente accipit, quod nulla Christianorum lege est  
permissum. Dimittens autem & castitatē recolens,  
e cælo assequetur misericordiam, in mundo etiam  
venerationem, adeo vt iuribus & tributis habeatur  
thani dignus, cum in vita tum in funere. Qui autem  
ordinis sui regulam abdicauerit, omni cum apud  
Deum tum apud homines gratia exuatur.

Vt sacerdo-  
tes vxorem  
non ducāt.

Sacerdos  
celebs pat-  
et thano.

III.

Volumus etiam & obsecramus omnes amicos  
nostros, & populum vniuersum, vt assidue discant  
Deum vnum intimo corde diligere, & Gentilium  
superstitionem sedulo effugere.

IV.

\*necro-  
mantiam Sagas, incantatores, artem <sup>\*</sup> scm exercentes, me-  
trices egregias, mortem induentes, & peieran-  
tes, tamquam terra indignos e terra proiicite, vt pu-  
rior sit deinceps populus; vel terra exeant cum suis  
omnibus, ni pœnitentiam egerint abundantius.

*Concil. Tom. 25.*

H h ij

## V.

Sapientes etiam decernunt, vt leges quique co-  
ram Deo & hominibus æquas statuant & tueantur:  
iniquas autem omnino deleant, iustitiam pauperi  
atque diuiti pari exhibentes lance, & pacem insu-  
per & concordiam pie in hoc sæculo coram Deo  
& hominibus retinentes.

## VI.

Sapientes etiam decernunt, vt nemo Christia-  
num & insontem precio tradat extra patriam, præ-  
sertim in Pagani alicuius seruitium: caueat autem  
diligenter ne illam animam perdat quam Dominus  
noster Iesus Christus suo sanguine mercatus est.

## VII.

Sapientes etiam decernunt, vt pro delicto mo-  
dico nemo Christianum morti adiudicet, sed in mi-  
sericordia potius leges administret ad utilitatem po-  
puli, & non pro modico eum perdat, qui est opus  
manuum Dei, & mercimonium eius magno com-  
paratum precio. De quolibet autem criminе ac-  
curatius decernito, sententiam præbens iuxta fa-  
ctum, mercedem iuxta meritū, ita scilicet vt secun-  
dum diuinam clementiam lenis sit pœna, & secun-  
dum humanam fragilitatem tolerabilis. Propensius  
etiam reminiscatur qui in alium iudicium tulerit,  
quid a Domino petat ipsem, cum in hunc mo-  
dum dicit: *Et dimitte nobis debita nostra*, & reliqua.

## VIII.

Instantius etiam docemus, vt Christianus quili-  
bet illegitimos fugiat concubitus, legemque Chri-  
stianam recte teneat. Nec permittatur vñquam vt

Matth. 6.

CIRCA  
ANNUM  
CHRISTI  
1009.

Christi fide imbutus intra spatium sexti hominis suæ consanguinitatis vxorem ducat, id est intra quartum gradum seu geniculum; neque cuiuspiam viduam, qui pari fuerit proximitate in mundana cognatione, nec vxoris quam habuerat prius neptem seu propinquam, nec sanctam aliquam monialem, nec susceptricem suam e sacro fonte, nec repudiatam quisquam Christianus habeat in vxorem, nec vxorem aliam capiat dum vnam habuerit, sed donec vixerit sit illa vnicum, si diuinam legem ille recte curauerit, & animam suam a gehennæ ignibus liberauerit.

IX.

Fruatur vnaquæque ecclesia pace Dei, pace regis, & pace omnium Christianorum. Sit pax vniuersitatis ecclesiæ intra parietes, & pax manu regis data usquequaque sit iniuiolata. Nemo dehinc in posterum ecclesiæ seruitium imponat, nec clientelam ecclesiæ iniuriis afficiat, nec ministrum ecclesiæ eiiciat, inconsulto episcopo.

X.

Iura Deo debita vnuſquisque annuatim recte pendito: aratri scilicet eleemosynam decimaquinta nocte a paschate: fetuum seu nouellorum gregum decimas ad pentecosten, & terræ fructuum ad festum omnium sanctorum.

XI.

Census Romæ debitus [ quem denarium sancti Petri vocant ] ad festum S. Petri ad vincula ( alias Missam Petri ) persoluatur: & ecclesiæ census, qui cyrck sceat appellatur, ad Missam sancti Martini.

H h iij

XII. & XIII.

Luminarium census ter quotannis penditor.  
Sed æquissimum est, vt animæ symbolum ( quam  
pecuniam sepulcrale nunc vocant ) semper de-  
pendatur, cum sepulcrum sit effossum.

XIV.

Sepultus  
extra paro-  
chiam. Et si corpus aliquod extra suam parochiam quis  
posuerit, soluat nihilo minus pecuniam ( quod  
symbolum animæ dicitur ) illi ecclesiæ cui corpus  
famulabatur viuens, & omnia quæ vel Dei sunt, vel  
ad ipsum pertinent, accuratius ( vti par est ) pacem  
habeant.

XV.

Festivitates & ieunia debite tenentor. Festi-  
vitatem diei solis, prout ad eamdem pertinet,  
feruentius quisque obseruato. A mercaturis &  
conuentibus populi, [ puta sæcularibus & forensi-  
bus ] a venatione etiam & mundanis operibus,  
Dies sanctæ  
Marie. in sancta illa die sedulus abstineto. Sanctæ Mariæ  
summum festum omnes cautius honoranto: pri-  
mum ieunio, & deinceps celebritate. Singulorum  
quoque apostolorum festivitates religiose quisque  
celebret ieunio, præterquam Philippi & Iacobi,  
Apostolo-  
rum. quibus propter paschatis gratiam & celebritatem  
ieiunium non indicimus, nisi voluntarium. Ce-  
tera omnia festorum ieunia quisque teneat diligenter  
ad eorum exemplar qui hæc optime obser-  
uauerint.

XVI.

Et ieunia quatuor temporum, ( quæ *Imbren* vo-  
cant ) & cetera omnia, prout sanctus Gregorius  
genti imposuit Anglorum, conseruantor.

CIRCA  
ANNUM  
CHRISTI  
1009.

CIRCA  
ANNUM  
CHRISTI  
1009.

Philippi &  
Iacobi die  
non ieju-  
nandum.

XVII.

Quaque etiam die Veneris ieiunandum est, nisi festum sit.

XVIII.

Ordalii præterea & iurisiurandi administratio, nec non & matrimonii celebratio, in festis solennibus & ieiuniis quatuor temporum semper prohibentur: & ab aduentu Domini ad octauas usque epiphaniæ, & a septuagesima ad quintamdecimam noctem ultra pascha, sit interuallum illud tempus sanctum: ita scilicet ut pax & concordia, vti decet, inter Christianos habeantur, & omnis dissensio componatur. Et si quis alteri ex fideiussione quid debuerit, aut rei alicuius mundanæ satisfactionem, studiose iam persoluat, aut mox postea.

XIX.

Viduæ ad minus bis senos menses sub præsidio Dei atque regis pura se contineant viduitate, deinceps virum eligant ut voluerint.

XX.

Vnusquisque Christianus (prout fidei suæ in primis necessarium est) Christianitatem suam cureret diligentius, & frequenter adeat confessionem, & pudore posito sua confiteatur peccata, & quam ei imposuerit sacerdos emendationem sedulus exequatur. Reuerenter etiam præparatus quisque ad-  
Eucharistia  
ter in anno  
admodum.  
eat sacram eucharistiam, quando ad arbitrium ei videbitur maxime necessarium, saltem ter quotannis.

XXI.

Verba & opera (ut amicos decet) recte quisque disponat, & iusiurandum paetamque fidem caute

Fides paet  
tenenda.

Iniustitia  
abolenda.  
Et opera  
dolosa.Et diaboli-  
ca.Deum in  
omnibus  
colendum.

Pacis.

Numismata-  
tis.Mensura-  
rum &  
ponderum.Opidorum,  
pontium,  
& de expe-  
ditione.

teneat. Omne etiam iniustitiam e patriæ finibus, qua poterit industria, quisque eiiciat. Opera dolosa & exosas omnes iniquitates quisque sedulus abicit: iniusta nempe pondera, iniquas mensuras, falsum testimonium, pugnas & contentiones sceleratas, illicitos etiam concubitus, & periuria formidanda. Opera item diabolica, cum in clandestino, tum in alio quoquis homicidio, in furto & in ..... in auaritia & concupiscentia, in gula & ebrietate, in seditione, in multiplici legum violatione, in violatione coniugii & sacri ordinis, festorum, & ieiuniorum, in sacrilegio, & plurimis gentium malefactis. Nouerit enim unusquisque, horum nihil unquam fouendum esse, sed studiosius euitandum: diligatque hinc in posterum omnia summo desiderio quæ ad Deum pertinent, cum in verbis, tum in factis: sic populus hic noster diuinam citius consequetur misericordiam.

## XXII.

Quoad pacis violatæ & corrupti numismatis emendationem, omnes studiosius incumbamus; ita scilicet pacis emendationi, vt cuique patrifamilias optatissima sit, furibus autem infensissima. Numismatis vero correctioni, vt unus atque idem numerus per omnes istas transeat regiones absque aliqua falsitate. Pondera & mensuræ ad iustum habent regulam, & iniquum quodlibet ex hinc deleatur. Vrbium, opidorum, arcium atque pontium instauratio sedulo fiat, prout opus fuerit: militaris etiam & naualis profectionis, vti imperatum est, ob viuercalem utique necessitatem.

## XXIII.

XXIII.

Cauendum etiam est, vt celerius post paschatis festum naualis expeditio annuo sit parata. Si quis nauem in reipublicæ expeditionem designatam vi-  
tiauerit, damnum integre restituto, & pacem regis violatam compensato. Si vero eam ita prorsus cor-  
ruperit, vt deinceps nihil habeatur, plenam luito iniuriam, & laſam præterea maiestatem.

XXIV.

Si quis de profectione militari, cui rex intererit, sine licentia se substraxerit, in detrimentum corruat omnium fortunarum.

XXV.

Et si quis qui homicidium perpetrauerit occul-  
tum vel manifestum, siue etiam periurium, præsu-  
mat in regis præsentiam peruenire, priusquam pœ-  
nitentiam egerit coram Deo atque sæculo, hono-  
re suo & omnibus facultatibus plectitor, nisi in hoc etiam veniam obtinuerit.

XXVI.

Si quis vitæ regis insidiabitur, sui ipsius vitæ dis-  
pendio, & quas habet rebus omnibus pœnas lui-  
to. Sin negauerit, & purgationem qua licuerit ex-  
petierit, solenniori eam faciat iuramento, vel or-  
dalio triplici, iuxta legem Anglorum, & in Dano-  
rum lege, prout ipsa statuit.

XXVII.

Si quis Christi legibus siue regis se nefarie op-  
posuerit, capit is plectitor æstimatione, vel multa  
alia pro delicti qualitate. Et si mortem resistendo  
sui ipsius culpa sibi met induxerit, inultus iaceat.

Concil. Tom. 25.

Ii

Nauem e-  
iusmodi  
corrumpe-  
nis pœna.

XXVIII.

Si quis monialem vitiauerit, aut in stupro viduæ  
vim intulerit, grauissime apud Deum atque homi-  
nes compensato.

XXIX.

Scrutari oportet diligentius vnumquemque  
modis omnibus, quonam pacto illud ante omnia  
efferatur consilium quod populo habeatur utilissi-  
mum, & vt recta Christi religio maxime proueha-  
tur, iniustumque quodlibet funditus extirpetur.  
Hæc enim in rem fuerint totius patriæ, vt iustitia  
conculcetur, & iustitia coram Deo & homini-  
bus diligatur.

XXX.

Ad ecclesi-  
sticos pro  
castitate &  
orationi-  
bus.

Ad secula-  
res, vt refi-  
piscant.

Deum, fi-  
dem, ver-  
bum, co-  
ulant.

Nunc autem ministros Dei solicite monebi-  
mus, vt sui cautius reminiscentes, & cælesti fulti  
adiutorio, castitatem colant, libris & orationibus  
sedulo indulgeant, noctesque diesque Christum in-  
uocent frequentius, & pro omni populo Christia-  
no vehementius intercedant. Sed & iterum atque  
iterum amicos obtestamur vehementius, (quod &  
nobis metipis maxime interea necessarium est cre-  
bro facere) vt a peccato quisque cogitet sedulus  
resipiscere, &, qua poterit, aliorum cohibere ini-  
quitates. Illud denuo reminisci, quod hominibus  
maxime necessarium est frequentissime remini-  
scendum; hoc est, vt sinceram fidem vnanimiter  
habeant in Deum verum qui omnes fecit & gu-  
bernat creaturas: vt rectam fidem Christianam re-  
cte teneant: doctores verbi Dei diligenter audiant,  
doctrinamque & præcepta sua studiose insequan-

CIRCA  
ANNO  
CHRISTI  
1009.  
tur: vt in ecclesia Dei pacem tueantur & tranquilitatem, oblationibus eam salutantes & luminibus, ibidemque Christo preces anxius effundentes: vt Deo debita Deo debita  
annuatim Deo debita recte pendant, & festa & ieiunia recte etiam obseruent: vt in die solis omnem Diem solis  
mercaturam conuentusque populares fugiant studiose: vt Dei ministros semper tueantur & honorent: vt Dei pauperes foueant & pascant: vt vi- fandū  
duam aut orphanum non lacestant, diligentius au- Diem solis  
tem consolentur: vt peregrinos atque aduenas ne- fandū  
que vexent, neque grauamine afficiant: vt iniuriā Diem solis  
aliis non inferant de industria, sed hoc alteri fandū  
vnusquisque faciat quod sibi fieri voluerit, prout Diem solis  
iustum est. Hæc quidem lex æquissima.

XXXI.

Curæ etiam vnicuique sit in posterum ne diuinam legem violet aut humanā. Qui vero in hoc deliquerit, illic compensato studiosius vbi contigerit deliquisse; tam secundum emendationem ecclesiasticam, quam secundum leges sacerulares. Multæ & animaduersiones ex delictis prouenientes aduersus Deum patratis, (etiamsi a sacerdotali magistratu impositæ) iuxta episcoporum constitutionem, omnino pertinent ad orationes comparandas, pauperumque commodum promouendum, ad ecclesiarum instaurationem, & ad populum Dei erudendum, vstiendum, & pascendum, ad libros, campanas, & vestimenta ecclesiæ suppeditandum; nunquam vero ad mundanas exequendum vanitates, sed in pios usus, & ad virorum sacerdotalium instructionem, erogandæ. Quidquid scilicet peruerterit

Ad ecclesiā pertinēt quæ in causa ecclie etiam a laicis impōnuntur.

Et cuiuscumque sint genetis.

Concil. Tom. 25.

Iij

alias ex multa simplici, alias e capitibus aestimatione,  
( quam virgildum nuncupant ) alias ex poena seu  
animaduersione \* colli obstricti, alias ex multa le-  
gis violatæ, alias ex honoris seu facultatum iactura,  
alias maiori, alias minori.

XXXII.

Potentio-  
res grauius  
multandi.

Quilibet  
iuxta con-  
ditionem  
suam.

Voluntas &  
necessitas  
consideran-  
dæ.

Misericor-  
dia in om-  
nibus adhi-  
benda.

Et ut quisquis fuerit potentior in hoc saeculo,  
vel per scelera euectus in altiore gradum, ita gra-  
uius emendabit peccata sua, & pro singulis malefa-  
ctis poenas luet grauiores. Propterea, cum dissimi-  
les omnino sint potentes atque impotentes, iustum  
est ut illis simile non imponatur onus, nec infir-  
mis aut inualidis ut valentibus: sed tum in poenis  
ecclesiasticis iniungendis, tum in legibus saeculari-  
bus exequendis, moderandum semper erit & distin-  
cte discernendum; scilicet inter senes & adolescentes,  
inter diuites & egenos, inter sanos & infirmos,  
& similiter in aliis ordinibus. Et si acciderit ali-  
quem contra voluntatem suam, vel forte fortuito,  
delictum aliquod perpetrare, similiter non in eum  
est animaduertendum ac si voluntarie hoc fecisset  
& de industria. Quicumque enim necessitate pul-  
sus in aliquo deliquerit, melius semper & clemen-  
tius iudicandus est, ex ipso hoc quod ex necessitate  
factum perpetrauerat. In quo quis igitur facto cau-  
tius discernendum est, iudiciumque iuxta factum  
recte moderamine disponendum, merces iuxta me-  
ritum, quoad Deum, quoad saeculum. Dei igitur  
timore commotus, quisque clemens atque mitis  
esto, misericordiam ( prout opus fuerit ) recte dis-  
tribuens: nobis enim omnibus maxime expedit,

CIRCA  
ANNVM  
CHRISTI  
1009.

• 1009. •

• 1009. •

JOANNES  
P. XVII. AENHAMENSE. HENRICVS II. IMPERATOR.  
ÆTHELREDVS R. ANGLIÆ.

253

CIRCA  
ANNUM  
CHRISTI  
1009.  
vt Dominus noster saepius atque iterum clem-  
tiam suam largiatur. Amen.

## CONCILIVM AENHAMENSE

IVXTA ALIVD EXEMPLAR.

### PRÆFATI O.

**Q**VODAM tempore contigit ut regis Æthelredi editio  
concrepante, archipræsumque Ælfeahi & Vulf-  
stani hortatu instigante, vniuersi Anglorum optimates die  
sancto pentecostes ad locum ab indigenis Eanham nomi-  
natum acciti sunt conuenire. Collecto itaque ibidem  
Christicolarum Coetu venerabilium quamplurimorum,  
de catholicæ cultu religionis recuperando, deque etiam  
rei statu publicæ reparando vel consulendo, plura & non  
pauca, vt pote diuinitus inspirati, ratiocinando sermoci-  
nabantur. Denique in eorumdem synodalis exordio ser-  
mocinationis, episcopi semetipsos primitus fidei speique  
& caritatis, quatuorque principalium virtutum, pruden-  
tiae videlicet & iustitiae, fortitudinis quoque & temperan-  
tiae decore adornari, mutuis colloquiorum instructio-  
nibus salubrium inuicem cohortabantur, statueruntque  
pro inuicem quotidianam interuentione, atque pactum  
pacis & concordia fideliter firmiterque inter se confir-  
mabant.

Causa hu-  
ius Concilii.  
magis  
for. ment  
monial. 2  
magister

## SYNODALIA DECRETA.

### I.

Omnem quoque populum monebant, vnum  
regem sub vnius cultu religionis Christianæ, super-  
stitionis ritu fanaticæ omnimodo abiepto, & ti-  
mere & diligere. Deinde vniuscuiusque ordinis,  
vel sexus, vel ætatis cateruam accitam assistentem-  
que, vt iuxta legis sanctiones catholicæ suam so-  
brie & iuste ac pudice in hoc sæculo vitam insti-  
tuerent, suggestionibus multimodis secundum

Regem &  
religionem  
colendos,  
populum  
infruen-  
dum.

Ii iij

Apostoli monita beati, arguebant, obsecrabant, increpabant. Ibi ergo episcopi, vt erga creditæ sibi salutem plebis, Paganorum incursionibus vel irruptionibus ceterisque calamitatum ærumnis pluriformium opprimentibus, a religionis tramite recto anfractibus errabundis exorbitantis, perugiles existent: eisque vitæ pabula vel alimenta, quibus ad fidei cultum catholicæ recrearentur, solicite instanterque ministrarent, monitibus cogebantur intentis. Memores enim fore prophetæ monebantur dicentis: *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Abbatibus namque, nec non & abbatissis, maximis ibidem prædicabatur obsecrationibus, vt vitæ propriæ legis frena regularis imponerent, collaque iugo Christi leuissimo omnimodis infatigabiliter humiliterque supponerent, & sedula instantia saga, \* citatisque studio intentissime monita sibimet subiectis salutaria, actuumque exemplaria bonorum nomina \* maioris officiis æquantes vel implentes, studiosissime impendere procurassent, eosdemque a sanctæ tramite religionis, vel ab almi norma patris Benedicti per anfractus obliquos dextrorum vel sinistrorum nequaquam deuiare permetterent. Archipontifices etiam, vna cum ceterorum consensu pontificum, orthodoxorumque iam tunc præsentium, salubre hoc pliumque cælitus afflati elegerunt tradideruntque consilium, vt si quispiam monachorum, vel quæpiam monialium, ex cuiuspiam monasterio abbatis vel abbatissæ, ipsius videlicet vel antecessorum eius temporibus regiminis, ritu apostatico per proprium arbitrium egressi, vel proprii reatu deliqui

1. Per. S.  
Cenobite  
regular  
suam, vel  
S. Benedi-  
cte tenent.

Monachi  
& moniales  
vagi redeat  
ad sua mo-  
nasteria.

CIRCA  
ANNVM  
CHRISTI  
1009.

CIRCA  
ANNVM  
CHRISTI  
1009.

CIRCA  
ANNO  
CHRISTI  
1009.

expulsi, alicubi reperti fuerint, in monasterium iterum reuertantur, & absque vlla contradictione suscipiantur. Caevant etenim abbates, nec non &

abbatissæ, ne illud propheticum de illis dicatur:

*Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis.* Reuersi ergo monachi vel moniales, obseruantæ regulari humiliiter subiaceant, negligenter viuant.

Ezech. 34.  
Regulat-  
ter viuant.

Reuersi ergo monachi vel moniales, obseruantæ regulari humiliiter subiaceant, negligenter viuant.

factisque eadem persoluere studeant. Si autem cuiuspam monachorum monasterium, quo se per promissionis votum perque habitus suscep-  
tionem spiritalis Domino obtulit omnipotenti, velut plerumque mutata temporum vicissitudine con-  
tingere solet, cum canonicis vel cum sanctimonialibus constitutum sit, isque tam alicui ecclesiæ vel monasteriolo in Christi famulatu deditus fuerit,

idem ipse pontificem, ad cuius diœcesim eadem ecclesia vel monasteriolum cui præest pertinet,  
promptissime adeat, triaque hæc se semper serua-  
turum data dextra deuoueat, castitatem videlicet,  
habitumque monachicum, & perpetuam in Christi seruitute perseverantiam. *Quod si hæc persoluerit,*  
dignior habeatur. Canonici namque in suis se mo-  
nasteriis ita obseruent, vt in continentia pura & in castitate magna Domino regulariter deseruant;  
horis competentibus officium diuinum in ecclesiis pariter concelebrent, et si eo loci substantiæ abun-  
dantia viualis non defuerit, in suis per dies singu-  
los prandeant refectoriis; noctibus quoque singulis,

Tria vo-  
ucant.

Canonici  
cenobia  
sua teneat.

vt eis regulæ monstrat auctoritas, in dormitorii re-  
quiescant : quod si hæc obseruare neglexerint, vel  
regulariter emendent, vel de monasteriis eiiciantur,  
& Dei hereditate careant.

II.

Sacerdotes  
caste vi-  
uunt.

Sacerdotes itaque siue presbyteros summopere  
obsecramus, vt caste & continenter Domino iu-  
giter seruientes, a connubiis se femineis omnino  
abstineant, sicque Domini iram deuitent. Si enim  
taliter Domino seruire voluerint, Domini cuncti-  
potentis misericordiam hic & in futuro consequan-  
tur perpetuam ; insuper & nobilium honore per-  
sonarum, & in vita præsenti, & post vitæ terminum,  
digni habeantur. Quod si hæc obseruare noluerint,  
omni honore penitus priuentur.

III.

Deum v-  
num & fi-  
dem colen-  
dos.

Post hæc igitur archipontices prædicti, con-  
uocata plebis multitudine collectæ, regis edicto  
supra scripti, omniumque consensu catholico-  
rum, omnibus communiter prædicabunt vnum  
Deum colendum esse debere, Patrem videlicet,  
& Filium, & Spiritum sanctum ; Patrem siquidem  
ingenitum, Filium autem ante tempora ge-  
nitum a Patre, in tempore natum e matre, Spi-  
ritum vero sanctum ab utroque procedentem ; Tri-  
nitatem siquidem in personis, unitatem in sub-  
stantia ; deitate coequalis, honore & gloria  
coæternum. Vnum, inquit, Deum, unamque  
spem, & unam fidem, atque vnum baptisma nos  
colere oportet, & omnes paganas superstitiones  
contemnere.

In can-

I V.

Incantatores autem, magos, pythonicos, & vneficos, nec non idolorum cultores, acriter oportet constringere, vel etiam ex patria eiicere. Decreta namque vel statuta, vel scita legalia, æqua & iusta semper teneamus; iniusta autem legique contraria penitus exterminentur, & ab omnibus eliminentur. Iuris quoque statuta ciuilis æquissima nulli abs trahantur personæ nobili neque ignobili.

V.

Fides firma, caritas non ficta, amicitia vera & Pax & fi-  
des.

V I.

Nemo etenim pro pecuniæ commutatione aliquius quempiam Christianum insontem ex patria eiiciat, sed nec Paganorum dominio subdat. Ne fas igitur est ut quos Christus sanguinis sui effusione redemit Iudæorum vel Gentilium vinculis sint irretiti.

V II.

Delinquentes etiam pro delictis modicis morti minime tradantur, sed pie cauteque puniantur, ne forte punitionis seueritate iudicis iram districti prouocent punientes; Dominus enim dicit: *Nolite condemnare, & reliqua.* Et item: *In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini.* Et Apostolus dicit: *Castigate, & non mortificate:* plasmati namque Domini plasmantis, quod proprio sanguine redemit, semper ubique parcatur.

Pro te mo-  
dica nemo  
occidatur.

V III.

Connubia illicita cunctis generaliter interdicimus Connubia  
*Concil. Tom. 25.* illicita.

Kk

Christianis , sed legi diuinæ cum Dei timore vbi-  
que adstringantur: nemo igitur illicitis coniunctio-  
nibus se inquietet, id est cum cognatis, vel cum con-  
iugatis , vel cum Deo sacratis , seu cum aliis illicitis  
personis.

IX.

Ecclesiæ &  
ministri im-  
munes.

Ecclesiæ itaque per loca singula ædificatae in  
Domini subsidio cunctipotentis , nec non & regis  
terreni , cunctæque plebis catholicæ tuitione sem-  
per persistant : nec quisquam pro quopiam com-  
mercio , iugo seruitii suam subiugans ecclesiam ,  
vendor efficiatur ecclesiarum , sed in Christi ser-  
uitute leuissima libere semper permaneant : neque  
sacerdotes vel ministri Deo ibidem fideliter serui-  
entes absque pontificis consilio inde expellantur ;  
nec ecclesiæ antiquitus constitutæ decimis vel aliis  
possessionibus priuentur , ita ut nouis oratoriis tri-  
buantur.

X.

Decimæ &  
Deo debita  
reddenda.

Decimationes frugum , & vitulorum , & agno-  
rum , nec non & aratrales eleemosynæ , ecclesi-  
sticaque munera, Domino per singulos annos tem-  
poribus rependantur congruis : eleemosynæ vi-  
delicet aratrales quindecim diebus post pascha  
peractis ; vituli quoque & agnici decimales erga  
pentecosten ; frugum vero terræ decimationes cir-  
ca omnium festiuitatem sanctorum ecclesiis per-  
soluantur opportunis.

XI.

Denarius  
Romanus.

Pecunia quoque Romana erga beatorum solen-  
nitatem apostolorum Petri & Pauli pontificibus  
per singulos annos reddatur.

XII.

Ecclesiastica vero munera in beati festiuitate Census ecclesasticus.  
Martini per singulos annos ecclesiis donentur competentibus. Lumenia etiam cereorum ter in annis Luminaria.  
singulis reddantur, augeantur, reparentur.

XIII.

Munera nec non defunctorum animabus congruentia putoe impendantur aperto. Defunctorum munera.

XIV.

Ieiunia quadragesimalia, & cetera a sanctis partibus indicta, sanctorumque festiuitates a catholice institutæ, summopere obseruentur. Ieiunia.

XV.

Dominicæ solennia diei cum summo honore magnopere celebranda sunt, nec quidquam in eadem operis agatur seruilis: negotia quoque sacerdotalia quæstionesque publicæ in eadem deponantur die. Genitricis namque Domini nostri, almæ vide- licet Mariæ, festa solennia, primo cum ieiuniis, & postea cum suauifona melodiarum cantilena, honorifice ab omnibus celebrentur solenniter. Festa quoque apostolorum cunctorum similiter cum ieiuniis concentibusque spiritualibus summopere colenda sunt. Festum beatæ Mariæ. Apostolorum.

XVI.

Ieiunia vero quatuor temporum nos obseruare oportet, ut sanctus Gregorius nobis constituit; quamvis aliæ gentes aliter exercuerunt. Ieiunium quatuor temporum.

XVII.

Sextæ etenim ieiunia feriæ ab omnibus magnopere per singulas hebdomadas exercenda sunt; si tamen in eadem die aliqua festiuitas non euenerit.

*Concil. Tom. 25.*

Kk ij

XVIII.

De diebus  
iuridicis.

Iudicium quippe, quod Anglice *ordal* dicitur,  
& iuramenta vulgaria festiuis temporibus & legitimi-  
mis ieuniis, sed & ab aduentu Domini usque post  
octauas epiphaniæ, & a septuagesima usque xv.  
dies post pascha, minime exerceantur; sed sit his  
temporibus summa pax & concordia inter Chri-  
stianos, sicut fieri oportet.

CIRCA  
ANNUM  
CHRISTI  
1069.

XIX.

Viduæ per  
annum in-  
nubæ.

Viduæ singulæ in subsidio dominico, in que regis  
cunctæque plebis munitione catholicæ semper con-  
fistant, perque menses XII. in continentia perseue-  
rent; quibus peractis, libero utantur arbitrio, vel  
nubendi, vel in continentia permanendi.

XX.

Confessio  
& pœni-  
tentia.

Christiani quique colloquia frequentia & salu-  
bria cum sacerdotibus crebro exerceant, suaque sibi  
peccata inuercunde depromant ac confiteantur,  
confessaque iuxta sacerdotis institutionem pœni-  
teant, atque emendent; seque per continentiam &  
per reliqua operum studia bonorum ita purifcent,  
ut corporis & sanguinis participatione creberrime  
digni & mundi efficiantur.

XXI.

Verba &  
facta.

Verba & facta vnusquisque iuste disponat, iura-  
menta & vota fideliter compleat.

XXII.

Iniqua om-  
nia abo-  
lenda.

Nequitiæ namque cunctigenæ a cunctis Chri-  
stianis penitus eiificantur, iræ videlicet, rixæ, dissen-  
siones, blasphemiae, adulteria, homicidia, furta, rapi-  
næ, necromantiæ, auaritiae, fornicationes, periuria,

CIRCA  
ANVM  
CHRISTI  
1009.

sacrilegia, sortilegia, ebrietates, comedationes, idolatriæ, falsa testimonia, fraudes subdolæ, maleficia, veneficia, pondera dolosa, mensuræ iniquæ, stateræ fraudulentæ, ceteræque pestes quæ ad integrum hominem pertrahunt. Si enim istas mortiferas pestes a nobis auellere voluerimus, omnipotens & misericors Dominus nobis nostræque genti procul dubio miserebitur. Fraus itaque monetariorum Monetarii. funditus absistat, exque pura & simplici materia pecunia cudatur. Furta autem & latrocinia omnia Furta, &c. radicibus absistant, vel ea perpetrantes multimodis poenitentia puniantur. Arcium muri, vrbes, opida, castella, ciuitates, pontes, reparentur, restaurantur, renouentur, vallis & fossis muniantur, & circumuallentur.

### XXIII.

Naues per singulos annos ob patriæ defensionem & munitionem præparentur, postque sacro-sanctum pascha cum cunctis vtensilibus competentibus simul congregentur. Qua igitur etiam poena digni sunt qui nauium detrimentum in aliquibus perficiunt, notum cunctis esse cupimus. Quicumque aliquam ex nauibus per quamquam inertiam, vel per incuriam, vel negligentiam corruerit, & tamen recuperabilis sit, is nauis corruptelam, vel fracturam eiusdem, persolidam prius recuperet, regique deinde ea quæ pro eiusdem munitionis fractura sibimet pertinent rite persoluat.

### XXIV.

Si autem de expeditione, id est de præcinctu, E militia  
discendens. cui ipse rex intererit, sine licentia quisquam discendens.

Kk iij

262 IOANNES C. AENHAMENSE. HENRICVS II. IMPERATOR.  
P. XVII. AETHELREDVS R. ANGLIÆ.

serit, rerum facultatumque cunctarum discrimen  
incurrat.

CIRCA  
ANNUM  
CHRISTI  
1009.

XXV.

Criminosi  
non ve-  
niant co-  
ram rege.

Si etiam quisquam de excommunicatis, nisi cau-  
sa refugii, in regis præsumperit præsentia ante pœ-  
nitentiæ satisfactionem peractam consistere, facul-  
tatum proscriptione damnetur.

XXVI.

Regi insu-  
dians.

Si quis dæmoniaco instinctu regem circumue-  
nire molitur, illum dignum morte iudicamus, nisi  
forte maximo iuramento, vel feruente ferro ex-  
cusetur.

XXVII.

Legibus re-  
fūlentes.

Et si quis legi Dei manifeſtē resistit, vel contra-  
dictit, reddat quod debet legis desertor: & si is con-  
trarius rebellare armis nititur, & sic occiditur, ia-  
ceat semper absque redditione.

XXVIII.

Nonnam,  
&c. oppri-  
mens.

Nullus itaque Christianus nonnam Deo dica-  
tam violet; nemo viduam vi opprimat sine pericu-  
lo substantiæ suæ.

Conclusio.

In his itaque, & in cunctis, iniqua omnia & iniu-  
sta quæ rex noster vna cum optimatibus extermin-  
are decreuerat vel mandauerat, semper & ubique  
penitus abiiciantur, eliminentur, omnimodisque  
excludantur, iustitiaque & veritas semper seruetur,  
sicque pax summa, frugumque fertilitas, omnium-  
que copia bonorum in patria abundabit, Domino  
patrocinium præstante, qui viuit, &c.

Hæc itaque legalia statuta vel decreta, in nostro Con-  
uentu synodali a rege nostro magnopere edicta, cuncti

CIRCA  
ANNUM  
CHRISTI  
1009.  
tunc temporis optimates se obseruatos fideliter spon-  
debant; idcircoque ego, N. gratia Domini disponente,  
Eboracensium archiepiscopus, eadem ad sequentium me-  
moriā, nec non & ad præsentium vel futurorum salu-  
tem, literis infixi, Domini videlicet proximique dilectio-  
ne compunctus.

Archiepi-  
scopus  
Eboracen-  
sis scriba,  
seu cancel-  
larius.

ANNO  
CHRISTI  
1009.

## VITA SERGII PAPÆ IV.

SERGIUS, eius nominis quartus, post interregnum vnius mensis & tredecim dierum, pridie Kalendas Septem- bres, anno salutis 1009. tempore Henrici regis, ex episco po Albanensi creatus est Romanus pontifex, optimus pluribusque virtutibus exornatus. Hic ante Petrus nun- cupatus ob reuerentiam apostolici culminis nomen pri- stinum immutauit, & Sergius nominari voluit, ut patet ex sepulcrali inscriptione, de qua infra. Errat ergo Ditmarus, qui suo iudicio & assertione ideo id factum scribit, quod nomine non satis honesto Buccaporci nominaretur. Tur- pius falluntur qui huius solius pontificis exemplo poste- ros sua nomina immutare arbitrantur, cum ex preceden- tibus liquido constet, quod Ioannes XII. ante pontifica- tum Octavianus, Gregorius V. Bruno, Silvester II. Ger- bertus, nuncupati fuerint. Hoc iudice Libentio Hambur- gensi archiepiscopo controuersia, quæ inter ipsum & Ber- narium Verensem de parochiæ Ramsolæ subiectione a- gitabatur, & ob quam ille Odonem Romam ablegauerat, adiudicata fuit. Adam.

Nouatores  
redargun-  
tur.

Hoc tempore magno cum prodigo Romæ in quadam ecclesia oleum scaturit, ex quo vas aliquod impletum missum est ad Henricum regem. Rem gestam describit huius temporis scriptor Ditmarus lib. 7.

Res gestæ  
sub Sergio.

Anglicanam ecclesiam Dani persequuntur. Ex clericis & monachis nouem occisis, strangulatis, aut per verenda suspensis, decimum quemque vitæ referuarunt. Sanctum Elphegum Cantuariensem episcopum post multas carce- ris & vinculorum iniurias glorioso martyrio affecerunt.

Persecutio  
ecclesie  
Anglicanæ.

Sergius papa, cum sedisset annos duos, menses octo &

Obitus Ser-  
gi.